



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

XI. De examinandis iis qui sacros ordines accepturi sunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

ANNO
CHRISTI

hæc verba benedicat. ORATIO. Domine sancte pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hunc panem tua sancta & spiritali benedictione, vt sit omnibus salus mentis & corporis, atque contra omnes morbos & vniuersas inimicorum insidias tutamentum. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, panem vitæ, qui de cælo descendit, & dat vitam ac salutem mundo, & tecum viuit & regnat, &c.

X.

Instruendi sunt presbyteri, pariterque admonendi, quatenus nouerint decimas & oblationes, quas a fidelibus accipiunt, pauperum & hospitem & peregrinorum esse stipendia, & non quasi suis, sed quasi commendatis vti. de quibus omnibus sciant se rationem posituros in conspectu Dei, & nisi eas fideliter pauperibus & his qui præmissi sunt administrauerint, damna passuros. Qualiter vero dispensari debeant, Canones sancti instituunt: scilicet vt quatuor partes inde fiant, vna ad fabricam ecclesiæ releuandam, altera pauperibus distribuenda, tertia presbytero cum suis clericis habenda, quarta episcopo reseruanda, vt quidquid exinde iusserit, prudenti consilio fiat.

Lib. 7.
cap. 290.
Iuo part. 3.
cap. 204.

XI.

Episcopus quando ordinationem facere disponit, omnes qui ad sacrum ministerium accedere volunt, feria quarta ante ipsam ordinationem euocandi sunt ad ciuitatem, vna cum archipresbyteris, qui eos præsentare debent. Et tunc episcopus

Dist. 24.
Quando
episcopus.
Iuo part. 6.
cap. 21.

Concil. Tom. 24.

Rrrr

pus e latere suo dirigere debet sacerdotes , & alios ANNO CHRISTI
 prudentes viros , gnaros legis diuinæ , & exercita-
 tos in ecclesiasticis sanctionibus , qui ordinando-
 rum vitam , genus , patriam , ætatem , institutio-
 nem , locum vbi educati sunt , si sint bene literati ,
 si in lege Domini instructi , diligenter inuestigent.
 Ante omnia , si fidem catholicam firmiter teneant ,
 & verbis simplicibus asserere queant. Ipsi autem ,
 quibus hoc committitur , cauere debent , ne aut
 fauoris gratia , aut cuiuscumque muneris cupidi-
 tate illecti , a vero deuiant , vt indignum & mi-
 nus idoneum ad sacros gradus suscipiendos episco-
 pi manibus applicent. Quod si fecerint , & ille qui
 indigne accessit , ab altari remouebitur , & illi ,
 qui donum sancti Spiritus vendere conati sunt ,
 coram Deo iam condemnati , ecclesiastica digni-
 tate carebunt. Igitur per tres continuos dies dili-
 genter examinentur , & sic sabbato , qui probati in-
 uenti sunt , episcopo repræsententur.

XII.

Si cuius vxor adulterium perpetravit , & hoc
 a viro deprehensum fuerit & publicatum , dimit-
 tat vxorem , si voluerit , propter fornicationem :
 illa vero septem annis publice pœniteat . Vir ve-
 ro eius illa viuente nullatenus aliam accipiat . Quod
 si voluerit adulteram sibi reconciliare , licentiam
 habeat : ita tamen , vt pariter cum illa pœniten-
 tiam agat , & exacta pœnitentia , post septem an-
 nos ad communionem vterque accedat . Similis
 forma & in muliere seruabitur , si eam vir eius a-
 dulteravit .